ARA ET FOCVS,

PRO

Ecclesiæ, Causæq; bonæ triumpho.

IN

Prosperrimos & salutares Regiminis ELIZABETHÆI, eminentiss. augustiss. q; Angliæ, Franciæ, *& Hyberniæ Reginei, fidei perpetuò opt. max. defensorij, anni 21. Christi, 1579. auspicij, medij, & finis,* Maiestatem ipsius illustrissimo Palatino Rheni Iohanne CASIMIRO, Duce Bauariæ, Heroe & sacri Rom. Imp. Principe fortiss. inclytissimi Anglorum ordinis PERISCHELIDIS Equite aurato, fœliciss. illo ex belli Belgici varij Castris, in Britanniæ Metropolim cùm animi tum colloquii caussa, votis ventisq; secundis cum applausu congratulatione & lætitia publica, ipsi Maiestati R. Proceribus & EQq. regni nobilissimis, Antistitibus Ecclesiarum reuerendiss. Antecessoribus Academiarum clariss. Ciuitatum Maioribus, Senatoribusq; prudentiss. adeoq; omnibus ac singulis gratissimo, acceptiss. amiciss. charissimoq; accedente, & aliquot EVROPAE Procerum Legatis de rebus Christianitatis grauissimis consultationum nomine apud eandem præsentibus, SVCCESSVS: Obsequij, adeoq; afflictorum, lætorumq;, simulatq; perpetuæ rei recordationis memoris ergo F.

AD

Inclytæ Vrbis Londiniensis MAIOREM & Senatorij ordinis viros EQq. clariss. honoratiss. Literatorum patronos necnon antiquitatum *amatores longè celeberrimos, Dominos suos semper colendissimos.*

Autore

Iacobo à Falckenburgk, *Germano.*

LONDINI

Typis Rich. Graphei. 22. Ian. A. 1579.

ELEGIA,

DE EXPEDITIONE

Palæſtinorum in Hebręos, breuiſs. continens Heroicam Dauidis cum Golia beſtia imma-*ni pugnam, rumoribus noſtrorum temporum, depopulationibuſq́; ſiue Turcicis, ſiue in-*teſtinis & Tyrannicis apprimè accom-modam, meditationis piæ ergo F. ex libro .i. Reg. 17.

ARma Philiſtæi Iudeæ acerrima genti
Intulerant, animo dira minante, duces.
Iamque Sochotæos immani milite colles
Complerant, caſtris & loca lata ſuis.
Rura, hominesq́; capit, ferro populatur & igne
Omnia, pro libitu barbarus hoſtis agit.
Saulus at vt patrijs à finibus arceat hoſtem
Vndique collectos cogit in arma viros.
Monte ſub aduerſo figit tentoria, vallis
Paruaq́; congreſſus quæ prohibebat, erat.
Inſtructæ ſtabant acies, iam pugna parari,
Dant litui ſignum, cornua rauca ſonant.
Singula ſollicito perluſtrans pectore Saulus,
Armatus rapidi terga premebat equi,
Dum monet vt DOMINI *fortes tueantur honorem,*
Et pro communi bella ſalute gerant:
Ecce Philiſtæis pragrandi corpore caſtris,
Egreditur vaſtus mole graduq́; gigas.
Monſtrum horrendum, ingens, longū ſeptem amplius (vlnas,
Torua illi facies, luminaq́; igne micant.
Dixeris Encelado Sicula ſub rupe creatum,
Cyclopum aut Stygia ſede rediſſe genus.

In

Incessu horrendus, rigidis horrendus in armis,
Horribili vastum cinxerat ense latus.
Quid galeam memorem, loricamq; ære rigentem,
Pelias haud tanti ponderis hasta fuit.
Ære grauem dorso clypeum gestabat, euntis
Et comes ante pedes armiger acer erat.
Corporis hic vasto confisus robore, Diuûm
Impius atque hominum pessimus osor erat.
Ille Palæstinas fulgentes ære phalanges,
Cùm videt, armatis prataq; plena viris:
Concutiens pedibus furibundo pectore terram,
Terribili tales edidit ore sonos.
Quis Deus est vester cui tot confertis honores,
Cuius in hoc bello sollicitatis opem.
Quæ vos eripient gladijs noua numina nostris,
Ne sitis manui nata rapina meæ?
Ense opus & valido membrorum robore nunc est,
Ignaui rogitent ad sua cæpta Deum.
Ipse ego nullius confisus nomine pugno,
Dextra mihi Deus est sunt mihi tela Deus.
Qui mecum ferro valida concurrat & hasta,
Huc veniat vestro de grege si quis adest.
Experiamur (ait) quid possit vterque vicissim.
Num Deus hic vester, vel mea tela iuuent.
Si quis & hanc vestrum tulerit de corpore vitam,
Vnius aut valido cæsus ab ense cadam:
Nostra potestati sunt subdita corpora vestræ,
Aut graue seruitij vos toleretis onus.
I nunc auxilium præsenti à numine posce,
Eruat è nostra vos DEVS ille manu.
Dixerat: ingentis clypei concussa fragore
Terra tremit, sonitus hastaq; mota dedit.

Talia

Talia quotidie scelerata voce fremebat,
Probraq; mendaci dixerat ore DEO.
At totis trepidant castris, pauor occupat omnes,
Diriguit sanguis, diriguere comæ.
Arma viri, vultusq; truces, mirantur, & artus,
Anxius audito nomine quisque tremit.
Corripiuntq; fugam timidi, si quando reuerti,
Visus erat, fremitus audierantq; truces.
Protinus in castris misso præcone feruntur,
Israelitici seria iussa ducis.
Siquis in hoc cœtu, vel aperto vinceret hostem
Marte, vel huic strueret viq; dolisq; necem.
Filia victori regis promittitur, ingens
Hic nothus audaci cuius ab ense cadet.
Additur & regni cum sponsa portio, census
Et sua stirps dandi libera lege foret.
Nullus at in populo, qui sumptis fortiter armis
Immani monstro congrederetur, erat.
Isai soboles aderat clarissima Dauid,
Viseret vt fratres patre iubente suos.
Missáque dum tradit præfecto dona cohortis,
Fulgentes multo lustrat & ære viros.
Prodijt ingenti confisus robore Cyclops
Euomit & simili pristina verba sono.
Non tulit Hebrææ Dauid conuitia gentis
Facta, nec in summum dicta maligna Deum.
Flagrantes animo puerili concipit ignes,
Impius & quisnam sit canis ille rogat.
Atque ait: O stolidi vestras socordia mentes
Quæ premit, & vanus quis timor ossa quatit?
Siccine vos soli Domino confiditis, an sic
Pendet in hoc vno vindice vestra salus?

Turpia blasphemi mendatia, probra Cyclopis,
In summum toties quæ iacit ille Deum.
Hæc hausisse inquam toties decet auribus æquis
Hoc tantum placido pectore fertis onus?
Totq; viros inter præstantes robore & armis,
Iam non qui Dominum vindicet vllus erit.
An impune feret tantum scelus? anne peribit
Prorsus Hebræorum gloria sancta Dei?
Obijciam potius caput hoc iuuenile periclis,
Ipse Deus vires auxiliumq; dabit.
Me custode Leo latitantem vepribus agnum,
Atque aliam frendens abstulit vrsus ouem.
Attamen hac dextra, Domini sed viribus, ambos
Occidi, manibus præda fuere meis.
Viuit adhuc auida qui me de fauce leonis
Eripuit, saluum restituitq; meis.
Huius præsidio munitus, talibus armis
Fretus, in hoc solo vindice tutus ero.
Dixerat: extemplo veniunt ea Regis ad aures,
Et ducibus referunt omnia verba suis.
Mirantur, puerumq́; vocant puerilibus armis,
Omnes contundi posse Cyclopa negant.
Intrepida repetit Dauides singula voce,
Ad populum veniens quæ modò dicta dedit.
Addidit: hac dextra vastam, mihi credite, molem
Conteret æternus qui regit astra, Deus.
Anne Philistæus noceat mihi, si mea leonis
Ira, vrsæ potuit nec nocuisse furor.
Quis credat rabidum superari posse leonem,
Aut pueri sola concidat vrse manu?
Non ego diuitias, medij nec munera regni
Expeto, nec Regis sit mihi sponsa nurus.

Arma-

Arma sed æterni sumam pro nomine Iouæ,
Has reget ille manus hos reget ille pedes.
Sancta DEI coràm fulgebit gloria, luce
Hac pro selecta prælia plebe geram.
Conticet, atque ingens puerili fulsit ab ore,
Cœlesti qualis gratia sede venit.
Apta iubet ferri membris iuuenilibus arma
Saulus, & huic manibus detulit ista suis.
Dat galeam capiti, dat acutæ cuspidis hastam,
Falcato tenerum cingitur ense latus.
Paruulus ante duces rigidis iam miles in armis,
Sæpe viam moto tentat inire pede.
Corpus at æra premunt insuetum, tam graue pondus
Nec poterat pueri sustinuisse latus.
Scilicet arma minus quàm pastoralia noras,
Aptior est manibus funda futura tuis.
Sentit onus postquam Dauides viribus impar,
Sic, posito membris, incipit, ære, loqui.
Indubitata fides Scutum mihi, proteget istud
Corpus inexhausta pro bonitate DEVS.
Talia, vix lachrymas poterant cohibere, videntes,
Fletibus ora rigans ipseq; Saulus ait.
O Generose puer, proles Sanctissima Iudæ,
Credimus hæc fieri prospiciente DEO.
Vade bonis auibus, cuius nunc solus honorem
Asseris, hic ceptis annuat vsque tuis.
Vade redi fœlix, victorq; reuertere, Saulum
Et dolor & lachrymæ dicere plura vetant.
Lætus Hebræorùm Dauid tentoria linquens,
Hostem diuino numine plenus adit.
Et fundam nitidis vicino è flumine saxis
Instruit, hinc vasti tendit ad ora viri.

Vt

Ut puerum Goliath venientem cernit, ad illum
Attonitus tardo cœpit & ire gradu.
Hæret in obtutu baculi, fundæq;, furentem
Mox ait, anne petis stulte pusille canem?
Cede, vel alitibus tradam tua viscera cœli,
Membraq; monticolis dilanianda feris.
Non secus ac vermis pedibus quatiere, tuíque
Confringam manibus corporis ossa meis.
Ille statim contra: Clypeo tu cinctus & armis,
Huc ades, hasta manus & latus ensis habet.
Ast ego Zebaothi pro nomine, nudus & infans
Huc mecum miles nil nisi saxa fero.
Illius electæ plebi maledicis, & audes
Supremum bello sollicitare Deum.
Ille tuas hodie vires contundet, is ausus
Puniet, es manibus præda futura meis.
Hirsutáque tuum caput à ceruice rescindam,
Truncus & in tota valle iacebis iners.
Inde tui primum fugient, tunc mille tuorum,
Undique spargentur corpora cæsa solo.
Luxuriabit humus, riuiq;, cruore, rubescent,
Omnis ager vestris ossibus albus erit.
Scilicet vt videant omnes, non ense, nec hasta,
Aut hominum numero prælia posse geri.
Ille iuuat vires, penes hunc victoria sola est,
Frangit diuina maxima quæque manu.
Nec mora, libratam propius cùm vidit euntem,
Mox fundam circum tempora bina tulit.
Et, quantum exigui sinerent in corpore vires,
Aduersi silicem mittit in ora viri.
Fronte ferit terram, moles ruit ardua, rupes
Fulmine tacta velut montibus alta cadit.

San-

Sanguine fœdatur facies, & more iuuenci,
Nunc pede, nunc crebra vertice tundit humum.
Rugituſq; dedit ſpumanti fauce, frementis,
Vita ſubit Stygij regna profunda lacus.
Anxia pro pueri lætatur turba salute,
Cùm procul hoc monſtrum procubuiſſe videt.
Continuo ſpoliat Dauid latus enſe iacentis,
Quem vix vagina diripuiſſe poteſt.
Viribus & ſummis caput à ceruice reſcindens,
Cum gladio Regis portat ad ora ſui.
Exoritur plauſus, totis & iubila caſtris,
Inq; Philiſtæos quilibet arma capit.
Terga dedere fugæ timidi tutore perempto,
Exuitur caſtris gens ſcelerata ſuis.
Nec furor & populi rabies concepta quieſcit,
Semina pugnandi dum ſupereſſe videt.
Obuia quæque necat, prædatur, & omnia vaſtat,
Vrbibus occluſis plebs ſuperata latet.
Iudæas poſtquam victoria ſparſa per vrbes,
Omnibus Iſacidæ bellaq; nota forent.
Cymbala, nabla ſonant, hymnos, iuuenesq; ſeneſq;
Æternoq; canunt iubila grata DEO.
Fertur ad aſtra pijs Dauides laudibus, hoſtis
Hoc duce quod fuerint turba redempta metu.
Ergô ſic Superis, perierunt enſe, Rebelles:
Non atheos, ſequitur gloria ſola probos.

Gaudium, & mœror.

Ia. Falckenburgio, nuper spoliato.

Plutarchus de consolatione ad Apollonium.

S.D.

HOminem non ad omnia læta natum, Quinimo eum gaudere, & mœrere, opus esse Euripidis asseritur sententia. Mœrore autem vltra modum efferri, eumq; cumulare immodicè, præter naturam esse affirmamus, & à praua animi nostri opinione proficisci. Rectè enim instituti & condati hominis est, neque mutari ob euentum rerum quæ videntur prosperæ, & constanti animo decorum in aduersitatibus seruare. Et boni ratiocinatoris officium hoc est, aut præcauere malũ ingruens, aut acceptum corrigere & quàm minimum redigere, aut tolerantia sese mascula & generosa instruere. Quatuor quippe modis Prudentia circa bonũ versatur, aut parans id, aut cõseruans, aut augens, aut rectè vsurpans, hæ sunt cùm prudentiæ, tum reliquarum virtutũ regulæ atque officia.

¶ Eum, qui Lyciis leges posuit, aiunt mandasse ciuibus, vt in luctu veste vterentur muliebri: significare volentem rem eam muliebrem, imbecillisq; & degeneris animi esse luctum, neque conuenire viris moderatis & liberali doctrinæ deditis: Et vt ad eum mulieres viris, ita barbari cultis, ac deteriores præstantioribus sunt propensiores, nec animosissimi aut qui generoso sunt pleni spiritu, indulgent luctui.

¶ Neq; rectè rationes rerum putantis est, firmum aliquid in rebus instabilibus quærere. Quin potius vt ipsa hominum mortalia sunt inq; diem durantia corpora, ita & fortunæ affectionesq; caducæ, omniaq; in vita fluxa atque facilimè in diuersam mutabilia partem.

¶ Philippus Macedonum rex, cùm eodem tempore tres lætos accepisset nuncios: Manibus ad cœlum intentis, O fortuna, inquit, modico isthæc compensa damno, scilicet intelligens solere fortunam magnis inuidere prosperitatib.

Ergo quod nobis præter spem opinionemq; atque culpam euenit nostram, tibiq; post taxam mari solutam, nunc iterum hic cum Angelotis & aureis crumenam, furto, vi, dolo & fraude ereptam, &c. ita perferatur oportet, eademq; ipso facto demonstrare quæ plerisq; accidere soleant, intelligimus admoniti meminerimusq; vt homines. Vale.

Iacobi à Falckenburgk, Germani,

CASIMIRVS

Siue de concertatione Eliæ cum Baalistis, paraphrasis sacra.

PRO

Cultus solius IEHOVÆ viui defensione & idololatriæ detestatione cupidiss.

AD

Sereniss. augustiss.q; principem ac Dominam, DN. ELIZABETHAM Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Reginam gloriosiss. fidei defensatricem opt. max. Dominam suam longè clementiss.

IN

Secundos & prosperrimos Regiminis anni 21. incarnationis Christi, 1579. auspicij, Maiestatem ipsius illu- strissimo Palatino Rheni Iohanne Casimiro *Duce Bauariæ, fœliciss. illo ex belli Belgici Castris* accedente, & aliquot Europæ Procerum legatis de rebus Christianitatis grauissimis Consultationum nomine apud eandem præsentibus, SVCCESSVS,

Subiectionis humilimæ, adeoq; afflictorum commiserationis ergò F. D. P.

LONDINI
Typis Richardi Graphei. 22. Ianuarij die, nihi nigra & notabili, Anno.
CIↃ. IↃ. LXXIX.

Jacob: à Falckenburgk, Germani.

CASIMIRVS

Siue de congratulatione Electionis ...

Siue potius ... sacra ...

PRO

Cultui solius IEHOVÆ ... defensione &

...

AD

Serenissimum ... principem ac Dominum, DN.

...

IN

Secundos & prosperrimos Regiminis anni 21 inc...

Illustrissimo ... Rheni Iohanne Casimiro

... Fœlicissimo illo ex bello Belgico ...

... Europæ Procerum legatis de

... gratuitissimis Consultationibus ...

... apud eundem præsentibus,

SVCCESSVS.

Subiectionis humillimæ ... ergo F. D. P.

LONDINI

Typis Richardi Graphei: 22. Ianuarij die

... Anno.

CIↃ. IↃ. LXXIX.

IDYLLION, CONTINENS ACERrimam D. Eliæ prophetæ, in monte Carmelo, cum sacrificulis BAALÆ Cócertationem, delirijs

dissidijsq; nostri quoque sæculi Religiosorum insanis quàm maximè conuenientem, consolationis & sui ipsius & aliorum iniuriam patientium causa P. P. ex 3. Reg. 18.

ELIAS. OBADÆVS. ACHABVS. BAALISTÆ. HEBRAEI.

(luctus,
QVid querar? Vnde petam summi primordia
Optime cœlicolûm rector, mundiq; creator?
Gignere nonne queat mihi sollicitudinis ansam
Maximus æternum crucians dolor, osse medullam
Qui vorat, & liuens miseros depascitur artus?
En premit exilium, vasto dum luctor eremo:
Me crudelis, atrox, ac inuidiosa tyrannis,
Tempore quo regnis, Samaritanoq; senatu
Expulit, hæc cogens spælæa habitare ferarum,
Sola ministerio Coruorum vita superstes
Est mea, qui referunt obsonia frigida parcè.
Sicca leuanda sitis limosi gurgite Criti.
Is quoq; diffugiens, partim Iordanis in alueum
Abstulit agmen aquæ: partim siccatus arenas
Vix poterat bibulas defendere solis ab æstu,
Tota quoad perijt substantia fluxa Cauernis.
Torrida sic æstas, grauis & penuria aquâi
Est modò, ne guttam vt pluuiæ produxerit Auster.
Quinetiam atra fames, non exaudita priori
Progenie, terram rebus nascentibus orbam

Stringit

Stringit, & in culmos prohibet consurgere messem.
Frustra operatur humus: sementem perdidit ingens
Æstus, & irriguus tellure reconditur humor.
Arborei fœtus, oleæ, vitisq; racemi
Diriguêre diu languenti stemmate, & arent
Fœcundante prius sata quæq; per arua, liquore.
Dixi ego perfrictæ genti, rebarq; futurum
Excidium hoc homicidarum, Ducis, atque Sabellæ,
Quæ, canibus laceranda suis, trux limine in ipso
Occidet, infaustos conspergens sanguine postes.
Ecce autem, tot criminibus, sanctissime mundi
Conditor, irritatus adhuc tua munera genti
Mittere constituis periuræ? cum pluuiosa
Fructificos imbres vis tempestate reduci?
Ast mihi si vires (quæ te mihi dante futurò
Aduenient) nunc sint, tonitru cum fulminis aura
Depluet hos super ex adytis fumantis olympi.
Euge, tuum numen, tuaq; inculpabilis æuo
Sit bonitas, vigeat sanctissima vbiq; voluntas.
Propicius, clemens, miserator es. At tua fulmen
Cur rotat, elatum dextra, id nisi mittis in orbem?
Si minitaris ab hac, releuat miseratio ab illa
Parte scelus populi, nunquam mea dicta sequuti.
Funditus eruerem nocuos, populumq; scelestum.
Ibo animis contrà, Golian seu præstet atrocem,
Siue, sui similes, Achabos ter mille cruentos.
Cotibus exacuam gladium, licet inscius vsus.
Imperium ne si dominæ, & mandata facesset
Improbus, interitus sine cæde, & sanguine noster
Multorum eueniat, feriet quos Thesbius ensis.
OBAD. Elia, ô serue DEI celsissimi, amabo,
Unde venis? peregrè hac reducem saluere precatur
Hæ

Hæc anima, hic Obadæus ego ipse, frequentibus opto
Auspicijs venias. Qua non regione viarum
Iam peruestigatus ades, sanctissime vatum?
ELI. Auspicijs ain? His forsan, quibus æger in antro
Delitui, quo me deserti inamabile lustrum,
Humanæ prohibens, tenuit, commertia linguæ.
Solliciti pastus nostri nisi pabula Corui
Vnguibus, aëria & rostro regione tulissent
Nec tuus Elias, nec viueret iste propheta.
Ocyus, euge, redi, si carcer, apostata, tortor,
Viuit adhuc Achabus (si viuere dignus in orbe)
Me redijsse refer, nolit, velit, impia coniunx.
Ille mihi rapiat nudata fronte capillum?
Elian dicas Achabo redijsse furenti.
OBAD. Parce animæ miseræ, vatū clariss. Thesbi.
Nanq; ego si hinc abeo, nec veri nuntia fama
Constiterit penitus, Rege adueniente, meorum
Verborum indicio, (velut est furiosus) ad vnguem
Tondebit miserum, laniato viscere, corpus.
Non regio in terris vlla est, quam iussa Tyranni,
Supplicium de te poscentis, non petiêre,
Aut tibi vel saltem vt placari posset, egestas
Dum terras immensa tenet, cessantibus aruis
Germina progenerare, velut prius aucta tulêre.
Te si pneuma DEI (velut antehac sæpius istud
Contigit) abriperet, quid adhuc misero mihi restat
Quàm tortura grauis vitæ, cum crimine falsi?
ELI. Tu gradere, Elian Regi redijsse referto.
Testor vtrunq; caput, mea non absentia vitæ
Adferet vlla tuæ discrimen, atroxuè periclum.
Perge modo. Elian vatem redijsse referto.
OBAD. Alme Deus, qui nunc per tanta pericla reducis
Ob

Oh exoptatum dominum, columenq; piorum,
Quos ego sollicitè prærupti fornice saxi
Nutrio, felices reditus largire Prophetæ.
Quæsitum toto, Rex augustissime, mundo
Inueni ELIAN, vult is tua sponte videre
Ora redux: myrto en subter frondente resedit.
Non ille esuriem passus, nec vultus iniquo
Sic pallore riget tenuatus, vt arbitrer illum
Frugali hospitio peregrè, pastumuè cicadis. (ausus
ACH. Tune canis rediisse virum? Non protinus
Attrahere, aut placidis subitò huc deducere verbis?
Dic vbi liquisti? Quo se subduxerat ille?
En venit at rigidum sat sentiet esse Monarcham,
Cuius ab imperio fugit, regnumq; reliquit
Perfidus, esuriem cum sensit adesse malignam.
Hem profuge. Eccum aderas? Tun' ille feroculus audes
Israëliticam, turbato fœdere, gentem
Aduersus Diuos animare, Balamq; potentem?
ELI. Non ego progenitos Abrahæ de semine quic-
Turbaui: Tua progenies, tuq;, ardue, turpis (quam
Defensor Baalæ turbas gentemq;, tribusq;
Hebrigenûm, impietate furens: idola colendo,
Cunctipotente DEO, cultu illius atque relicto.
Verum agè certemus signis, sacrisq; superno
Ritè secundatis à numine, cælitus vsque
Hæc ea Carmeli peragantur vertice cepta.
Tu Baalæ cunctos (age) flamines (euge) ministros,
Atque superstitiosam turbam coge: recense
Concilivm, vt lucos, sublimia templa, Sabæo
Ture vaporatas incenso consecret aras.
Colluuies horum magna est licet: attamen ipse
Auxilio fretus solus numinis almi,
Cælico-

Cœlicolûm domino taurum mactabo securi.
Istud idem faciant, quorum cadat hostia dextra,
Sacrifici Baalæ: similis sit ritus, & ordo
Mactandæ pecudis, spargendi in sacra cruoris.
Absit at incenso, ac holocaustis omnis vtrinque
Ignea vis silicis, fomes tollatur & omnis.
Iam quicunque DEVS, rutilis placatus ab astris,
Auspicijs operum ceptis pius annuet, ignem
Deijciet, signoque suum testabitur alto
Propitius numen, DEVS esto immensus in æuum.
Si Baalæ tanta est virtus, responsa per auras
Mittet, vt electis cultoribus igne sonoro,
Mactatumque pecus per summa altaria aduret,
Victus ero. hoc animo lethum mecum antè peregi.
Sin vero, ô Zebaoth, testaberis æthere flamma
Ignipotente tuum numen, signoque corusco.
Hem, sic mactatos, rapidi torrentis ad vndas,
Sic perimam, vt pereat cum gente scientia cultus.
HEB. Non petit absurdum, Rex augustissime, quicquam.
Non truculens facinus, nos relligione priori
Turpiter auulsos, prorsum ignorare, Tonantis
Numina quanta sient, terrarum qui regit orbem?
Polluit in tantum sacri mysteria cultus:
Cuncta sacerdotum quoniam vanissimus error,
Vt nihil attentes, quod non fallaxque, nocensque,
Si probet ad normam diuini regula iuris.
ACH. Vos igitur Diuûm cunctis indicite honorem,
Publicolæ, per me liceat: non ipse vetabo
Sacra Balæ, metuens solius coniugis iram.
Extra sum noxam penitus, si quid DEVS ipse,
Cunctorum ac dominans dominantûm, fecerit orbe,
Numinis ad summi illustrandam maiestatem.

Inclemens

Inclemens taceo fatum, Pharaonis, & atrox
Supplicium, tulerat Zephyrus quem turbidus ira,
Horrendum in pelagus, cum tempestate sonora:
Ieroboam cunctis subeat, qui numina falsa
Mentitus Danai populo, excelsæq; Bethelæ.
Quàm miserè ille Silonites (proh) occidit augur,
Ariolans Ahias, non iussa sequutus Olympi?
Quàm miserè perijt deperditus ense Baësæ.
HEB. Hæc eadem nostra est cura, inuictissime Princeps
Inquiramus vt hunc, quem Moses, nostra vetustas
Sanctorum & venerata patrum, sanctissimus Aron
Et Patriarcharum cœtus, Dauidq; fidelis.
Terribilis quondam fuit & fortissimus axis
Fulminei domitor, qui tot miranda per orbem
Prodigijs operatus erat terraq; mariq;
Cœlitus is dederat Mosæ signante perenni
Articulo tabulas, Legis venerabile donum.
Is quoq; perpetuis dominandam legibus vrbem
Instituit, firmans regnum, sanctamq; Sionem.
Hic simulachra nihil præter conspeximus vnquam
Ærea, & excoctum calidis fornacibus aurum.
Num Baalas posuit fulgentem nubibus irim?
Iussit ad indomitos solem perstare Tyrannos?
Rexit in indomitos pueri Dauidis an arma,
Et fundam, Allophilos, Golia recidente superbo?
Te fera fata prement, ô Rex, nisi purus honorq;
Religionis erit, tanti & custodia cultus
Firmior. Est ingens scelus irritare Tonantem
Accidia, & torpore Ducum, qui numina temnunt.
Ergo nunc mandato, age, Rex: imponere morem
Nil iuuat his ceptis, te terq; quaterq; rogamus,
Ne nos perpetuò sancti ignorantia cultus

Ludificet,

Ludificet, Diuûm quæ cognitione laborat. (ceps,
BAAL. Audisti, vt nostros, Achabe ô clariss. prin-
Efferus, atq; procax, vocat in certamina Diuos,
Thesbius, apprensum quem non laniena Sabellæ
Theotocæ rapuit, centum iugulando prophetas,
Qui Baalæ nostro contradixêre scelesti?
Venimus, atque tuis iussis parêre volentes,
Hunc prius expetimus, huic confringemus & artus,
Carnificumq; vices subituri, membra securi
Conficiemus adhæc, miscentes ritè cruorem
Incensis Baalæ, fieri qui talia mandat.
ACH. Parcite, crudeles, conspergere sanguine cornu
Altaris rutilum, signis certetur vtrinque.
Si ferus, atque procax vocat in certamina multos
Thesbius vnus: habebit & is temerarius ausus
Præmia digna: dabit meritas præsumptio pœnas.
At si vos vincet, fuerit quam dedecus ingens?
Quisq; furor populi? iam vos perpendite, amici.
Barbaries ea magna foret, trux atque tyrannis,
Vi premere insontem, cui fert suffragia vitæ
Innocuæ pietas, constans tutela Deiq;.
Nunc iuuet accitos vos tantæ noscere causas
Seditionis, & hæc nouitas vnde orta tumultus.
ELIAN vocat ista cohors: secedite turbæ,
Ipse suam causam tractabit rectius actor. (Sphinges
ELI. Dî nemorum, veniunt quot in hæc certamina
Centauri, Satyri, quot vasta mole Gygantes?
Colligit vnde (precor) semet chorus iste Cyclopum,
Quos Baalæ reditus, altare fouetq; prophanum?
Nonn' ego nunc lachrymem? non tristia fundere verba
Commediter, rerum ô domitor, mundiq; creator,
Dum tua conspicio sanctissima templa nefando

More profanari, quæ iam turpissimus iste
Iussit adorato Rex consecrare Satanæ?
Quos video? Quæ forma virûm? variata colore
Vestis, & innumeris discretus legibus ordo?
Iste capillicium rasit, vel fortè cynædus
Abstulit: ô miseræ damnosa iniuria formæ.
Quid bifidæ mitræ, quid pendula (quæso) cuculla?
Quid radians fulgore nouo crinita corona?
Candida significat cydaris, rubriq; galeri?
Occidis, Elia iam nullus es agmine tanto.
Accedam propius. cepti vocat vltima finis.
Semper honoratus mihi sit conspectus, & alma
Integritas tanti cœtus. Me summa cupido.
BAAL. Delirat nebulo: signum cœleste petiuit.
ACH. Fas tamẽ esto incepta loqui. sic iura requirũt,
Ceu statuêre patres, rigidum mosæq; tribunal.
Præco, edic subitò taciturna silentia plebi.
Sic perstate quieti, ac percipite aure fauenti
Quæ canet Elias vestra est responsio tandem.
ELI. O excæcati populi, Satanæq; ministri,
Instabiles animo: Quæ dementauit ineptos
Impietas? Summi cur fœdera temnitis axis?
Vos similes estis fugitiuæ quippe procellæ,
Quam rotat in gyros Zephyri violentior aura.
Nec multum absimiles folio, quod fluctus aquarum
Arbore deciduum, per saxa latentia ponti
Proripit, ac requiem negat irrequieta charybdis.
Si Balaam DEVS est, Baalæ seruite benigno
Si dominus mundi DEVS est, seruite potenti
Regnatori orbis: néue immortale futurò
Ducite fas numen, sacris violare profanis.
Vos Baalæ Heroas, compello, sacrosq; prophetas,

Exim

Eximij ô virtute patres : altaria vestro
Ædificate DEO, super atque imponite taurum
Ritè sacris, viridi deductum gramine campi,
Mactatumq́ strue pecus id sustollite : lignum
Adijcite arsuro, nullas tamen addite flammas.
Arida ligna sient, sint pinguia viscera tauri.
Ipse ego sic pariter faciam, atq; piacula ducam,
Marmore de solido faciens altaria, vosmet
Cernite, nulla aderit prorsus scintilla caloris.
Cui DEVS hîc flammis parti testabitur esse
Procliuem, celebri laudem ferat illa triumpho.
Ergo accingimini, atque rudem sperate parati.
BAAL. Sit, pecus id cæsum iacet altile, tollite serui
Viscera quadrupedis, superaddite : tollite voces
O socij clamore poli rumpantur, oportet.
Salue, nostra salus Baalam, sanctissime Diuûm,
Solus & axe potens, & amans voti, atque precatus,
Solliciti tibi quem soli resonamus ad aras.
Id meruit pietas quoniam miranda per orbem,
Iustitia atque tuûm seruorum, carmine nomen
Qui celebrare tuum nunquam cessamus, ab alto
Mane vsque in seram noctem, quoad astra relucent.
Tu flammam largire tuis. Nam sole sereno
Incaluitq́ dies, citius flagrescet & æther.
Non audis? Num spreta tibi querimonia nostra est?
Tot pecudes frustra mactantur, & hostia templis?
Quæsumus, exaudi. Quid? Corpora denique cogis
Crudeli sica proscindere? Fundere fletus
Sanguineos? pectus rimare? effringere dentes
Stridore immeritos? sale spargere vulnus adæsum?
ELI. ô stupidi. ô nimium socordes, numina sic'ne
Flectitis irati Baalæ, dominiq; seueri?

Nil

Nil facitis, miseri parua est resonantia vocis
Huius apud Superos, nec habent fastidia laudem.
Est Deus huic placitura oratio, credite, vestra,
Vox modò, ceu tonitru, grauis intonet, astraq; vasto
Impete perrumpat, bellumq; indicat olympo.
Nanque habet & Baalas varium, & mutabile pectus.
Solatur forsan lemures, cœliue Penates,
Aut radio terras pingit, scrutatur & vndas
Oceani: aut dormit: recreat vel semet aquarum
Gurgite: vel certè viridi spaciatur in aruo.
Vociferamini adhuc, clemens est, atque benignus,
Qua ratione igitur non audiet ille vocantes? (frustra
BAAL. Nil nostri miserere, pater? Rex maxime?
Fundimus has nostrasq; preces, tepidumq; cruorem,
Saucia rimamus dum corpora tota sagittis?
Væ nostris duo, væ, manibus, improbe, quorum
Exitij caput es, tuq; execrabilis autor.
Quis tibi confidat, Diuûm turpissime Auerni,
De te si nullum superest solamen in orbe?
ACH. Quid facis Elia? Tibi num tua numina, reris,
Efficient, nequeunt quod tot præstare prophetæ,
Integritas operum quos tollit, honorq; sacelli?
Solus es, & tantam sermone lacessere turbam
Octingentorum, quinquagintaq; virorum
Ausus in hanc temerè venisti sponte palestram?
ELI. Vos famuli, grandem fossam mihi ducite sulco,
Rectè est instituitote pyram, sint ordine iunctæ
Congeries lignorum: annectite fasce aceruos.
Tollite iam vastum collecto tergore taurum,
Sublatumq; focis imponite, victima sacris
Ceu solet imponi, patrum de more vetusto:
Sic satis est. Implete cados iam gurgite aquarum.

Spargite

Spargite nunc toto perfusa holocausta fluente.
Hoc iterum facitote: natent lapidesq; struesq;
Lignorum: haud multum refert. Opus omne solutum
Fiet, ubi largo stagnabit flumine tellus.
Inclyta, cuncta vides hæc, gens: DEVS omine faustô
Prosperet inceptum; paulò secedite, amici,
Ad latus atque meum pueri consistite dextrum.
Et nos numen amat, summo pia semper apud me
Munera sunt, castæq; preces, & vota serena.
Et me principiò sanctissimus autor Olympi,
(Cuius sacra fero, ingenti perculsus amore)
Accipiat, dextraq; regat pietate clientem.
O DEVS, ô Abrahæ spes, atque columna tuorum
Dimigenûm Hebræûm, populo fac constet in isto
(Quæso) die, quòd tu DEVS Israëlis, & auctor
Vnicus optatæ sis pacis, & unica vitæ
Arx, columenq; meæ: quòd sis contemtor & horum,
Nomina qui tua nunc quæsita fraude profanant.
Cognoscant etiam cuncti, quod seruus ego ipse
Sim tuus, ac cuncta hæc te sic mandante peregi.
Nunc, DEVS omnipotens, audi, & miserere precantis
(O) Pueri: dignere etiam conuertere tanti
Cor populi, qui prodigijs hac rupe docendus.
HEB. Eheu, quin fugimus? Ruit ecce sonorus ab axe
Ignis, & immenso conquassat fulmine montem.
ELI. Ne fugite: auxiliator adest, DEVS ille salutis,
Quem colimus, solum trepidamus ubique secundis
Seruate ô vosmet: facit hæc Rex magnus olympi.
Ne trepidate viri. DEVS est victoria nostra.
Vos, pueros animate, senes, tenerasq; puellas,
Numine confortate DEI, propiore Deorum.
HEB. En sumus incolumes cuncti, sanctissime vates,
Protector

Protector noster, Deus Israëlis, adesto.
Tu decus, Elia, nostrum: tu sancta reposcis
Numina, tu vitæ sacratum dogma reportas.
Protector noster Deus est, Deus ipse Deorum
Extra hunc nulla salus, nulla est saluatio plebis
Israëliticæ, dominus Deus iste Deorum est.
ELI. Plaudite, filioli, Domino: Iam quisquis in armis
Optimus, apprensos Salios constringat ahena
Torque, volo, demum vinctos huc ducite, Cydron
Læta vbi latiflua Iordanis in arua palude
Præcipitatus abit, nondum indignatus in æquor
Asphalti horrendum mergi, Dominantis ob iram,
Sulphure quod rigido, crassoq; bitumine stagnat.
Hîc cadet ense meo Baalæ pecus altile rapto.
Propiciatori Baalæ hîc mactabo suorum
Corpora sacrificûm: carnes voret ipse cruentas
Si libet, ac partem Iesabellæ mittat in vrbem.

HESIODVS.

Molitur damnum ipse sibi, qui intentat alij,
Consiliumq; malum Autori fert maxima damna.

FINIT

His pro tempore breuiss. reliqua cum cæteris copiosius ad integrum tractatum reseruans, *Autor*, non animo diuagandi non furore erroneo non scurrarum more nec scelere, sed spe opt. max. vltro libenterq;, obitu C.S. fratris desiderio, Christiani nominis nomine, philosophiæ sobriæ studio, honoris, conscientiæq; saluæ amore, inconstantia, vi & iniuria temporum huc & in terram pace Religioneq; beatiss. pulsus,

I. Falckenburgius.

Iacobi à Falckenburgk, Saxonis Brandeburgi,

BRITANNIA,

SIVE DE APOLLONICA HVMILITATIS, VIRTVTIS, ET HONORIS PORTA; IN QVA, VELVTI VITÆ THEATRIDIO, præter innumeros FORTVNÆ labyrinthos, in afflictorum solatium, maximè amplificatur bonitatis diuinæ, ad gloriam ipsam atque salutarem perducentis, Encomium, libri 4.

Item de sollicitudinum processu quotidiano atque historico Æglogæ. Tractatus argumenti vtriusq; politici & sacri, omnibus cùm in Repub. tum vita cōmuni versantib. perutiles & lectu iucundi.

IN

Serenisſ. Auguſtiſs: q;, Anglię, Francię, & Hyberniæ Reginæ ELIZABETHÆ, Principis eminentiſs. *Fidei defensatricis, DN. longè sapiētiſs. opt. atq; optatiſs. Gratiam, & Academiarū laudem, cum singulorum elogijs, humilimum in modum obsequij, honoris,* commendationisq; Apologeticæ, atque rei memoriæ perpetuæ, ergò

AD

Illuſtriſs. Heroes, Comites, Barones, Equiteſque *ſpectatiſs. Intelligentiſſimos militia fœliciſſimæ, pa*ciſq; exoptatisſimæ, Senatores Regios Britānos.

PSAL. 33.
Multæ ſunt tribulationes iuſtorum, ſed ex omnibus his liberat eos Dominus.

Saluo per omnia S. Ecclesiæ Apost. iudicio.

LONDINI
Typis Richardi Graphei.

Anno CIↃ.IↃ.LXXVIII.